



NOVVM,

ET SINGV- LARE ORNAMEN-

TVM SALVij IVLIANI EX LIB. 3. AD VRSEIVM FEROCEM IN L. QUIDAM 19. D. DE MANVMIS.

his testamento, vno die excogitatum, &
vna hora dictum in ore Salmanticensium
auditorum; in bellitatione

Cæsareæ Vespertinæ Ca-
chedræ.

Joannis de Góngora



TENE BROSA caligine opacata antiquitas;
Hecatombis holocaustomatis propitiato
numine, confidenter obuia ibat periculis,
aut Martis seui, aut infidi Oceani: intrepida
se se in medias hostium Phalanges conijciebat implora-
to Ioue. Quanto igitur æquius, ac firmitus hanc certaminis
litterarij sæuitiæ vobis conspectis despiciam, auditores cla-
rissimi, quos ex affectu exoro, & ex gratitudine imploro?

B Non



Qui iam heredem suum rogaverat, ut servum manumitteret, deinde si heres eum non manumissit, liberum esse iusserat, eique legaverat. Heres eam manumissit. Plerique existimant hunc ex testamento libertatem consequi, secundum hoc legatum quoque ei debetur. Difficilissima sane, & que in auditum continere videntur sententiam, tamquam omnibus iuris elementis huc pertinentibus oppositam, & quæ vix ullam aliam in civili Pandectarum corpore similem habere possit, ut merito in admirationem plerosque etiam eruditissimos viros rapuerit, quæ se hoc iuris laberintho nos implicuimus, cum hanc Iuris prudentiæ partem explicandam elegimus, præsertim cum tam antiquiores omnes, quam recentiores, etiam politionis notæ interpretes eam sic copèdè pertrāsierint, duobus tantū demptis Alberico, & Cuiacio, quorum ille octo tantum lineas in præsentibus conscripserit, alter verò lib. 3. Salvij. Iuliani ad Virseium Floro. ad nostrū textū septē solas de hac habuit & ex illis neutrum veritatis scopū tetigisse apparebit, quare tota hæc nostra disceptatio sine villo ductu, qui demonstrat iter, erit per agenda, & ex proprio penu via præmunienda.

Uti igitur in limine appareat, quam dissona sit à iuris regulis Salvij, Iuliani sententia, à nobis statim expendenda est. Testator heredem suum rogavit, ut servum manumitteret (quod de servo proprio, non verò heredis accipio contra Alber. in præsentibus exraditis à Don. lib. 8. cōment. cap. 6. vbi Ossual. lit. E.), & si non manumissit, eidem servo libertatem directam, & simul legatum reliquit, servum heres manumissit, testatorique parvit; in hæc spei dæ præcipue dubitata fuerunt: primum an servus iste videatur accepisse libertatem fideicommissariam, tamquam ex manumissione heredis testantis iussum exequentis liber factus; an vero libertatem directam consecutus fuisset ex domini testamento, ita ut non heredis, sed testatoris libertus,